

DISPUTATIO THEOLOGICA
DE
CERTITUDINE
SALUTIS, QUATENUS

Objectum respicit,

Quam

DEO GRATIOSE ADJUVANTE,

Ex Vener. Facult. Theologica Decreto,

AGONOTHETA

Viro Venerando & Excellentissimo

DN. PETRO WERENFELSIO,

SS. Th. D. & Profefs. celeberrimo, Eccles. Basil.

Antistite digniss. Acad. RECTORE

designato magnifico,


Pro Axiomate Doctoris Theol. legitimè consequendo

Ad d. XXII. Mai in Audit. Theol. æstivo

publicâ συζητήσῃ tuebitur

JOH. RODOLFUS WETSTENIUS

A. L. M. L. Græcæ Prof. publ.



Coll. diss. A
132, 6

BASILÆ.

Typis JACOBI WERENFELSI, AN. M. DC. LXXXV.

Ag.

a. CXXXII. P.

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.



Additional faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.



Θεὸς συνεργῆντος.

DISPUTATIO THEOLOGICA

DE

Certitudine Salutis.

§. 1.



HO vivimus ævo, ut quorsumcunque, sive in res rempublicam concernentes, sive ad religionis sacerrimæ conditionem oculos dirigamus, incerta planè nobis appareant omnia, periculoso jaëtamur pelago, & meritò portum tutum atque securum cupidè anhelamus: Itaque aptissima mihi hoc tempore visa est materia in cathedrâ Theologicâ expendenda, quæ agit de *Certitudine Salutis*, ut animus tot curis fatigatus salutari hac meditatione velut sacrâ quâdam ancorâ recreetur atque confirmetur.

§. 2. Ut autem ordine progrediamur, tum quid hæ voces sibi velint, tum quo sensu nobis veniant, distinctè considerabimus.

§. 3. *Certitudo* à *certo* deducitur, hoc à *cerno*, quod duo præcipuè significat: 1. *Videre*; sic certum est quod liquidò apparet, in oculos cadit & demonstrari potest. 2. *Decernere*, ut certum sit idem quod decretum, publicâ sententiâ sancitum, firmum & irrevocabile. *Salus* verò, quòd à græco *σάος* liquidâ insertâ originem trahat, nemini est dubium.

§. 4. Et cum hæ voces diversas significationes admittant, eæ pariter ab omni ambiguitate sunt liberandæ. Nam certitudo vel respicit *objectum*, estque firmitas *res cognita*, quæ aliter se

A 2

habere

habere nequit, & vocatur *certitudo objectiva*: vel respicit *subjectum*, id est *ipsum hominem cognoscentem*, qui assensum præbet firmum rei ad cognoscendum propositæ, hanc appellant *certitudinem subjectivam*.

§. 5. Quæ distinctio minimè est negligenda, cum sæpè assensum præbeamus rebus vel falsis, vel non adeò certis: Sæpè etiam certissima ex aliquâ mentis infirmitate pro talibus non agnoscimus.

§. 6. Porro datur *certitudo experientia*, cum clarè objectum percipitur, si res ipsa se sensibus offert. Alia est *certitudo intelligentia*, quâ veritatem principiorum cognoscimus. Alia *scientia*, quando mens nostra conclusioni ex primis principiis deductæ assentitur. Alia *moralis*, quando ex signis certis, vel hominum consensu aliquid pro vero habetur, ut de eo nemo jure dubitet, v. g. Ciceronem fuisse Consulem Romanum. Alia denique *fidei* seu *Theologica*, quando propter firmitatem testimonii divini mens nostra rei cognitæ adhæret constantissimè.

§. 7. Ipsa vox *salutis* non uno modo accipitur, vel denotat felicitatem corporalem, Act. 27. v. 34. vel spirituales beatitudinem, quæ in hac vitâ inchoatur, & in alterâ consummatur.

§. 8. *Salus* etiam consideratur, vel quatenus omnes salvandos collectivè sumtos respicit, vel quatenus singulis seorsim consideratis innotescit.

§. 9. His ita præmissis, cum in foro Theologico versemur, de fidei certitudine nobis sermonem esse patet, perinde de salute non corporali, sed spirituali & æternâ nobis agendum.

§. 10. Et quia certitudo duplex est, tum *objectiva*, tum *subjectiva*, *salus* verò duplicem respectum habet, vel *ad salvandos in communi*; vel *ad singulos in Individuo*: duplex oritur quæstio: Prima est: *An detur certa & immutabilis electio certorum hominum ad salutem æternam?* Secunda: *An fidelis possit certus esse de suâ salute?* Utamque affirmando amplectuntur Orthodoxi, & adversus varios veritatis hostes solidè defendunt. Quia verò arctiore temporis spacio circumscribimur, hâc vice certitudinem priorem quatenus immutabili electione nititur (quia reliqua certitudinis hujus sive perseverantiæ Sanctorum fundamenta eò tandem respiciunt) Deo gratiosè adjuvante, expendemus,

demus, posteriorem in proximam occasionem e. g. reservaturi.

§. 11. Arminii asseclas in Doctrina de Electione certorum hominum, maximè nobis contrarios habemus, qui statum controversiæ inter nos atque illos his verbis exprimunt. Quæritur: *An divina & peremptoria electionis ad vitam aeternam primum & adequatum objectum sint, omnes & soli in verâ fide ad finem usque vitam perseverantes, vel morientes, quâ tales? an verò persona quadam singulares nullâ fidei aut perseverantia in fide consideratione circumscripta, quâ tales?* Priorem partem Remonstrantes affirmant: posteriorem nostris attribuunt.

§. 12. Fingunt ergo dari electionem quandam *peremptoriam* in fide ad finem perseverantium, & *non peremptoriam* eorum, qui credituri sunt, sed ob inconstantiam deficere possunt. Scopus eorum est, perseverantiam Sanctorum impugnare, hinc electionis mutabilitatem propugnare necesse ducunt; & dum certitudinem ex præscientiâ perseverantiæ finalis arcessunt, nullam ejus causam concedunt, quia præscientia certitudinem non adfert, cum res non sint futuræ, quia prævidentur, sed prævideantur, quia Deus eas futuras decrevit; tùm ipsam perseverantiam homini, non Deo ascribunt, ac si Deus perseverantes non faceret, sed tantùm prævideret.

§. 13. Nostris verò fraudulenter impingere videntur, ac si vita æterna daretur nullâ fidei aut perseverantiæ consideratione circumscriptis, cum tamen doceamus, Deum neminem servare decrevisse nisi per fidem, media enim à fine non sunt separanda, fides tamen decreti ipsius causa non est.

§. 14. Nec magis candidè Lutherani nobiscum agunt, *fatalem* quendam *numerum* nostris imputantes, ac si plures non potuerint eligi, quàm eliguntur, aut reprobari, quàm reprobantur, & sic numerus simpliciter & absolutè plurium salvandorum accessione locupletior fieri haud potuerit, uti Brochmandus in libro de Prædest. & Eckhardus in fascic. Controv. c. 15. quæst. 14. loqui amant, nam penès liberrimam Dei *εὐδοκίαν* erat, vel universum genus humanum in massâ corruptionis relinquere, neminemque eligere, vel omnium misereri. Sed cum æterno ac immutabili decreto Omnipotentis visum fuerit, certos homines ad vitam, alios ad mortem destinare, hunc numerum in tempore augeri minuique non posse, rectè affirmamus. §. 15.

§.15. Status igitur controversiæ paulò plenius & planius sic formari potest: *An Deus aeterno & immutabili decreto certos homines, quos præ aliis voluit, ad salutem elegerit, ut electi infallibiliter ad eandem perveniant?* Nos arduam quæstionem affirmantes, ad veritatem ejus ex sacris literis demonstrandam nos omni studio accingemus.

§.16. Melioris ordinis ergò argumenta in duas classes erunt cogenda, quarum altera immutabilitatem electionis, altera definitum electorum numerum probatum dabit.

§.17. Primum argumentum nobis est à genere. Quòd omnium decretorum Dei eadem sit ratio, secundùm generale ipsius Dei effatum apud Esajam c. 46. v. 10. *Consilium meum stabit, & omnis voluntas mea fiet.* Ubi non tantùm decreti firmitas evidenter stabilitur, sed ipsa executio id certò subsequens asseritur. Nulla verò ratio excogitari potest, cur decretum electionis ab aliorum naturâ recedat, in quorum numero reperitur. Hinc divinus Psalter, ut ὑπεροχὴν consiliorum Dei quoad immutabilitatem doceat clarius, hominum consilia cum iis confert, Psal. 33. v. 10, 11. *Dominus dissipat consilia gentium, irritas facit cogitationes populorum, consilium autem Domini in aeternum manet, cogitationes cordis ejus in generationem & generationem.* Licet magna sit decretorum populi & Plebiscitorum auctoritas apud homines, ut res maximæ per ea geri soleant, Dei tamen potentia nullo negotio ea irrita reddit, & quæ sibi placent sine impedimento efficit. Si Reges Medorum atque Persarum tantam suis edictis vindicârunt auctoritatem, ut à nemine mortalium ea revocanda esse censuerint; Dan. 6. 15. quidni omnipotentis consilia essent immutabilia, qui non est quasi homo, ut mentiatur, nec ut filius hominis, ut mutetur, Num. 23. 19.

§.18. Quid quòd Spiritus S. decreto electionis in specie tribuat τὸ ἀμετάθετον immutabilitatem, Hebr. 6. 17. *Quâ in re volens ex abundanti Deus hereditibus promissionis ostendere τὸ ἀμετάθετον τῆς βουλῆς αὐτῆς immutabilitatem consilii sui, fidejussit jurejurando.* Non suffecerat Deo consilii æterni declaratio, accessit jusjurandum, ut per duas res immutabiles, validam consolationem haberemus, ibid. v. 18. Iterum Paulus Rom. 9. 11. *Τὴν κατ' ἐκλογὴν τῆς Θεοῦ πρόθεσιν μένεν, Dei propositum secundùm electionem manere,* apertè dicit.

§. 19.

§.19. *Causa efficiens idem evincit, quæ cum sit Deus noster, bonitate optimus, potentiâ maximus, παρ ὧν ἐν παραλλήλῃ ἢ τροπῇ ἐπιποκίασμα, apud quem non est transmutatio aut conversionis obumbratio, Jac. 1. 17. qui hanc filiis Jacob rationem reddit, cur non sint consumti, quia ego, inquit, Jehova non mutor, Mal. 3. 6. utique omnem mutabilitatem à divinâ electione procul arcere est necesse, nisi Domino in faciem obloqui non erubuerimus.*

§.20. *Si causam impulsivam respiciamus, electio immoto stabit fundamento, immensus enim amor, quo Deus mundum est complexus, ut omnes qui credunt in Christum non pereant, sed habeant vitam æternam, Joh. 3. 16. tam constans est, ut montes sint recessuri, & colles dimovendi, sed Domini benignitas non dimovebitur, Esaj. 54. 10. Ille dilectione perpetuâ populum suum diligit, Jer. 31. 3. Joh. 13. 1.*

§.21 *Et qui posset electio incerta esse, cum electi finem suum, id est salutem decretam, certò assequantur, nam qui perseverat ad finem, is servabitur, Matth. 10. 22. electos autem hoc modo perseveraturos esse variis demonstrationibus edoceri potest: Deus enim est, qui in illis inceptum bonum opus perficiet usque ad diem Jesu Christi Phil. 1. 6. Istos Deus Pater tantâ dilectione prosequitur, ut nihil eos possit separare à charitate Dei, qua est in Christo Jesu Domino nostro. Rom. 8. 39. Istos Servator semper vivens, ut intercedat pro eis, perfectè servare potest, Hebr. 7. 25. Hi postquam crediderunt obsignati sunt spiritu promissionis sancto, qui est arrhabo hereditatis nostræ. Eph. 1. 13, 14. Itaque jure optimo dicuntur ἐν δυνάμει Θεοῦ φερούμενοι εἰς σωτηρίαν in potentiâ Dei custoditi ad salutem 1. Petr. 1. 5.*

§.22. *Nexus indissolubilis mediorum, ad executionem decreti electionis destinatorum, ejusdem firmitatem docet, nam quos predestinavit, eos etiam vocavit, & quos vocavit, eos etiam justificavit, quos autem justificavit, hos & glorificavit. Rom 8. 30. Electionem æternam sequitur efficax vocatio, hanc excipit certa justificatio, hanc denique promissa glorificatio. Hinc Petrus electos ex prænotione Dei Patris ad sanctificationem spiritûs, per obedientiam & asperisionem sanguinis Jesu Christi, dicit regenitos esse in spem vivam, in hereditatem in cælis servatam 1. Petr. 1. 2, 3, 4. ut vitæ hæreditas ab electione separari non possit.*

§.23.

§. 23. Huc referendæ etiam sunt promissiones divinæ, gratiæ perpetuitatem spondentes: quàm gratiosè Christus Joh. 6. 37. *Quicquid dat mihi Pater, ad me veniet, & eum qui venit ad me, non ejicio foràs.* En electi Christo dati ad eum pervenient, & nunquam ab eo ejicientur. Ut autem pervenire possint medium efficacissimum ipse Dominus iterum pollicetur, Jerem. 32. 40. *Feriam cum eis pactum sempiternum, & timorem meum dabo in corde eorum, ut non recedant à me.* Et quia tum carnis infirmitas, tum tentationum vehementia in viâ impediunt frequenter, etiam his malis Domini clementia obicem posuit, nam *si ceciderit homo non prosternetur, quia Jehova sustentat manum ejus.* Psal. 37. 24. In tentatione verò non sinet nos tentari supra vires, sed præstabit unâ cum tentatione etiam evasionem, ut possimus sufferre. 1. Cor. 10, 13. sicque Deus fidelis confirmat eos usque ad finem inculpato in die Domini nostri Jesu Christi. 1. Cor. 1, 8. Quis dubitet Deum, qui est ipsa veritas, gratiam promissam collaturum, & quæ sine conditione pollicitus est, etiam sine conditione exhibiturum?

§. 24. Quid quòd supremus noster Doctor perseverantiam precibus à Deo expetere nos docuerit, Matth. 6. 13. *Ne nos inducas in tentationem, sed libera nos à malo:* additâ insigni promissione: *Omnia quæ petieritis in oratione credentes accipietis,* Matth. 21. 22. Frustra omninò id præscripturus, nisi gratiam ad finem usque in fide permanendi, sicque ad salutem perveniendi à divinâ bonitate nobis concedi posse, ac pro paterno affectu indulgeri scivisset. Majus verò est, quòd non solum hanc orandi formulam injunxerit, sed ipse efficacissimâ intercessione apud Patrem petierit, *ne fides Petri deficeret,* Luc. 22. 32. Ne verò Petro solum id obtigisse opinemur, pro omnibus Apostolis intercedit, Joh. 17. 15. *Rogo, ut serves eos à malo;* imò ad omnes fideles beneficium extendit, v. 20. *Non pro iis rogo tantum, sed & pro iis, qui credituri sunt per sermonem eorum in me.* Unde firmissimè concludimus, si Dominus, quem Pater semper audit, Joh. 11. 42. pro fide & salute omnium credentium preces Patri obtulit, eas utique exauditas fuisse, ut nunquam excidere potuerint.

§. 25. Quanta sit efficacia seminis Dei in fidelibus Johannes Epist. primâ c. 3. 9. exprimit: *Quisquis natus est ex Deo, peccatum non committit: quoniam semen ipsius in eo manet, nec potest pec-*

pec-

peccare, eò quòd ex Deo natus est. Si itaque verè fideles ex Deo nati propter immanens semen, peccatum non committunt, nec peccare possunt, ecquì possent ex gratiâ excidere, & ex electis fieri reprobi? Frustra verò adversæ sententiæ patroni semen illud deponi posse autumant, cùm tam altè sit infixum, ut *maneat* in fideli, satoris Dei beneficio, immobiliter.

§. 26. Sic fideles internum vitæ principium & fontem habent in se *aqua salientis in vitam aeternam*, Joh. 4. 14. qui spiritum fidei accepere scatebram habent in se perpetuò fluentem, ut exarescere nequeat in iis, qui spirituali gratiâ renovantur, aut sicut infra c. 7. 38. magnificentius exprimit, *qui credit in me, flumina de ventre eius fluent aqua viventis*, ut gratiæ efficaciam & perpetuitatem cum affluentia fuerit pollicitus optimus Servator.

§. 27. Electi singulari gaudent privilegio ex *adjunctâ* immunitate à seductione, quòd *seduci non possint*, unde eorum salus in tuto est, nam Christus calamitatem ultimorum dierum prædicens, *propter electorum salutem dies illos decurtari* affirmat, & *Pseudopphetas tanta edituros esse prodigia ac signa magna, ut seducant, ei δυνάτων* si fieri possit, *ipso electos*, Matth. 24. 22, 24. & quidem *electos, quos elegit Dominus*, sicut Marcus evidentissimè expressit c. 13. 20. Leve est effugium veritati contradicentium, dum formulam *ei δυνάτων* ad ardorem hostium, omni conatu seductionem tentantium, trahunt, ut, si per vires eorum staret, illa certò esset secutura: sed absolutè cùm dicatur *ei δυνάτων*, subaudi *ειν* esset, non comparatè ad ipsos *ei δυνάτων αυτοις*, Christus minimè hostium vires, sed vim majorem à seductione electos præservantem indigitare voluit: id enim scopus dicentis omnesque circumstantiæ ostendunt: Cùm enim calamitosus istis temporibus tam multi *ὑποκριται* seductoribus aures patulas sint concessuri, tantaque oppressio sit futura, ut nisi dies illi decurrerentur, nulla caro servaretur. Christus animum verè credentium hoc solatio præmunit, Dominum prospicere electis, ut dies decurrerentur, ac saluti eorum consulatur, sicque, etsi cæteri omnes seduci se patiantur, electos tamen, Domino sic providente, id pati non posse. Aliter gerunt, frustranea forent monita de cavendâ seductione, si illa foret impossibilis. Nos verò optimè novimus, Deum media à fine non segregare, & seriâ hac admonitione,

B

tione,

tione, *Ecce prædixi vobis*, ut tela prævisa minus noceant, & fideles veritati eò firmiter adhæreant, efficere voluisse.

§. 28. Ab *adjunctâ* æternitate hæc ratio afferri potest: Decretum æternum est immutabile, si enim mutaretur ad tempus tantùm duraret; sed electionis decretum ante jacta mundi fundamenta, atque adeò ab æterno fuisse, Paulus ad Ephes. 1. 4. ἐξέλεξατο ἡμᾶς πρὸ καθολῆς κόσμου, disertè testatur: (cui locus 2. Tim. 1. 9. addi potest) quare id mutari non posse est necesse.

§. 29. *Adjuncta* præscientia causam nostram multum juvat, cum enim Deus infallibiliter præsciat *qui sint sui*, 2. Tim. 2. 19. oportet ut iidem immutabiliter sint electi; si enim electio incerta esset, Deus in suâ præscientiâ falli posset, quod impium est asserere.

§. 30. Si *minora conferre* placeat, novimus Pilatum judicem Sacerdotibus tituli emendationem expetentibus, nil aliud respondisse quàm ὁ γέγραφα γέγραφα, *quod scripsi scripsi*; ne quid suæ auctoritati derogetur: quantò magis decebit supremum rerum omnium Moderatorem providere, ne nomina libro vitæ à se inscripta expungantur, alterentur ac mutantur. Notatu dignissima sunt Augustini verba: *Si homo dixit, quod scripsi scripsi, an Deus quenquam scribit in libro vitæ & delet?*

§. 31. Electionis firmitas variis *similitudinibus* in sacris evidenter illustratur atque confirmatur. Palmarius locus est, ubi electio dicitur *σπερὸς θεμέλι* & *firmum fundamentum*, 2. Tim. 2. 19. *Solidum Dei fundamentum stat, habens sigillum hoc: Novit Dominus qui sint sui: Et discedat ab injustitiâ omnis qui nominat nomen Christi.* Hic singula verba sunt ἐμφατικώτατα, appellatur fundamentum, non super arenam positum, quod concidit, Matth. 7. 27. sed firmum; non architecti cujuscunque, sed Dei; non tale quod ruinam minatur, sed stat; atque insuper sigillo munitum duplex quasi emblemata habente, quorum alterum Deum concernit, qui non tantùm agnoscit electos, sed etiam pro suis agnoscit: alterum ipsum electum tangit, dum à malo toto corde recedendo, ac justitiæ se totum tradendo nomen Christi veneratur. Ut eò meliùs appareat hunc locum de electione agere, antecedentia cum eo conferemus. Exhortatur Paulus Timotheum, ut se δοκιμὸν *probationem* exhibeat, in veritatis professione, ut devitet profanos

fancs

fanos de inanibus clamores, quales fuere Hymenæi & Philetî, qui turpiter à veritate defecerant, ne fœdissimâ hac apostasiâ turbetur, aut minus alacriter in officio pergat, provocat ad solidum illud Dei fundamentum, cui fidelium salus velut rupi immotæ innititur.

§.32. Perinde *electorum nomina scripta* dicuntur in cœlis, Luc. 10. v. 20. *Gaudete potius quòd nomina vestra scripta sint in cœlis.* Item eorum *nomina sunt in libro vita.* Phil. 4. v. 3. vocantur *concio primogenitorum, qui conscripti sunt in cœlis,* Hebr. 12. v. 23. *qui scripti sunt in libro vita agni,* Apoc. 21. 27. Quibus opponuntur reprobis *tanquam non scripti in libro vita agni,* Apoc. 13. v. 8. Sive nunc ad militum recensitionem, sive ad civium inscriptionem Spiritus S. digitum intenderit, docere voluit, Principem militiæ Jehovæ militum suorum nomina inscripta habere; vel Agnum cœlestis civitatis suos cives nominatim descriptos habere quasi in libro, ut sit velut *liber memoria coram Jehovâ,* Mal. 3. v. 16. qui asservatur in cœlis, in loco certo ac stabili, qui in agni est potestate, ut temerarias manus ei inferre nemini liceat, in quo notantur destinati ad vitam, propter quam inscriptionem indelebilem fidelibus est lætitia concipienda: unde nec electos è libro deleri, nec à vitâ excidere posse, plus satis probatur.

§.33. Electi per rō comparantur *ovibus,* quas Deus Pater Christo bono pastori tradiderat: sive nunc tradentem, sive accipientem respicias, nullo modo perire possunt. Licet iis lupo infernalis vi apertâ ac fraude occultâ pessima machinetur, nil tamen conatus ejus proficiet, quia tum *Pater, qui eas dedit Christo, major est omnibus, nec quisquam eas rapere potest è manu Patris,* Joh. 10. v. 29. tum filius boni pastoris munus implens, nunquam instar mercenarii conducti, ad lupi irruentis aspectum fugientis, oves lacerandas lupo præbet, sed *animam ponit pro ovibus,* Joh. 10. v. 11, 12. *Vitam aeternam illis dat, ne pereant in aeternum, & nemo eas ex manibus ipsius rapiet.* Ib. v. 28. Unde sequitur triumphus fidelium: *Jehova pascit me, non deficiam; etiamsi ambulavero per vallem umbræ mortis, non timebo malum, quoniam tu mecum es.* Cum Davide Psal. 23. 1, 4.

§.34. Sic electorum turba sponsæ dilectæ assimilatur, cui Deus pollicetur Hof. 2. v. 19. *desponsabo te mihi in sempiternum, desponsabo te mihi in justitiâ & iudicio, & misericordiâ & miserationibus;*

bus; quam Christus sanctificavit, ut sisteret eam sibi gloriosam, non habentem maculam aut rugam, aut quicquam eiusmodi. Eph. 5. v. 27. cui dedit arrhabonem certissimum fidei æternæ pignus Spiritum sanctum, Eph. 1. 14. quæ gloriatur, dilectus meus est meus, & ego sum illius. Cant. 2. 16. quæ enixè rogat: *Pone me ut sigillum super cor tuum, & ut signaculum super brachium tuum.* Cant. 8. 6. Hinc gaudet super eâ Deus *velut sponsus super sponsam,* Esa. 62. 5. quòd si Dominus pro Sarâ Abrahami uxore, tantam curam gessit, ut à Pharaone Ægypti rege illicito concubitu pollui non potuerit, Gen. 12. 17. sed intaminata marito restitui debuerit, quantò magis dilectam suam columbam servator impollutam servabit, ut in æternum sit *sponsa preparata & ornata viro suo.* Apoc. 21. 2.

§. 35. Posito verò *contrario*, electionis mutabilitate, quanta quæso absurda, quot blasphemiae inde oriuntur? Nonne vel impotentiae arguitur Omnipotens, quòd eos quos *constituit ad salutem obtinendam per Dominum nostrum Jesum Christum.* 1. Thess. 5. v. 9. ad eandem perducere nequeat? vel ignorantiae accusatur, qui certò præscire non potuerit *benedictos Patris sui, quibus regnum paratum à jactis mundi fundamentis,* Matth. 25. v. 34. Vel quòd pœnitentiâ ductus donorum suorum eum pœnituerit, cum tamen Apostolus *dona Dei ἀμεταμίλητα* esse affirmet, Rom. 11. 29. vel quòd promissa toties iterata rescindat, quòd ejus *fidelitatem,* 1. Cor. 1. 9. celebratam evertit: scinditur hac ratione catena salutis, eripiturque conscientiae afflictæ efficacissimum solatium, quo unico se adversus ignita tentationum tela tueri potest.

§. 36. Hæc de electionis ἀσφαλεία, asserendus porrò est certus & definitus electorum numerus, 2. Tim. 2. 19. *Novit Dominus qui sint sui.* Joh. 13. v. 18. *Non de omnibus vobis loquor, novi quos elegerim.* Reprobos verò ita alloquitur, Matth. 7. v. 23. *Nunquam novi vos.* Unde sic inferimus, si Dominus certò novit qui sint sui; quinam sint electi; quinam sint quos non novit & agnoscit pro suis, sequitur certum ac definitum esse electorum numerum, prius patet ex verbis allegatis, unde posterius in dubium vocari nequit.

§. 37. Ad Rom. 11. v. 7. testatur Paulus *solam electionem consecratam esse media salutis, reliquos verò occalluisse.* Notabiliter τὴν ἐκλογήν

ἐκλόγην

ἐκλογὴν dicit, ut & electos significet, distinctè à λοιποῖς reliquis consideratos, & causam prodat, quòd media salutaria vi electionis ipsius sint affecuti: oportet ergo ut certæ personæ assequantur sibi destinata, ceteri verò non assequantur.

§.38. Sententia Christi iudicis in ultimo iudicio idem declarat, Matth.25. & 34. *Venite benedicti Patris mei*; sed quos intelligit, an illos qui in fide mortui sunt, sicque electionem peremptoriam & determinatam effecerunt? nihil horum sequitur: sed *possidete regnum paratum vobis à jactis mundi fundamentis*. Ii ipsi quibus ab æterno certò paratum erat, id jubentur possidere, non alij, non aliam ob causam.

§.39. Electos certo decreto prædestinatos esse, adeoque certum esse eorundem numerum asserit Apostolus Rom.8.v.29,30. *quos præscivit, eos & prædestinavit, quos prædestinavit, eosdem etiam vocavit, &c.* Ad quæ verba eleganter Augustinus de prædestin. cap.17. *Non ergo alios, sed quos prædestinavit, ipsos & vocavit, nec alios sed quos ita vocavit, ipsos etiam justificavit, nec alios sed quos prædestinavit, vocavit, justificavit, ipsos & glorificavit.* Id quod particulæ relativæ ἕς-τέτις, quibus certæ personæ demonstrativè denotantur abundè confirmant.

§.40. Si tantum ij in tempore credunt, quot ab æterno ad vitam sunt destinati, numerus utique eorum definitus est, sed non plures, nec pauciores, sed ὅσοι quotquot sunt ordinati ad vitam æternam credunt Act.13. & 48. quis ergo de numeri certitudine ambiget?

§.41. Quòd si apud Deum de numero electorum nil certi sit statutum, quí potuit Servator fideles alloqui, ut μικρὸν ποιμνίον *gregem pusillum*, L.uc.12.32. quí potuit tam fidenter edicere: πολλοὶ εἰσι κλητοὶ, ὀλίγοι δὲ ἐκλεκτοί: *multi sunt vocati, pauci verò electi?* Matth.20. & 16. & c.22. & 14.

§.42. Electorum nomina supra vidimus in libro vitæ inscripta esse; certarum personarum sunt hæc nomina, Phil. 4. & 3. non individui alicujus vagi & indeterminati; perinde ut civium nomina matriculæ publicæ inserta, quinam inscripti sint, qui non, apertè monstrant.

§.43. Supra de ovibus verba fecimus, Christus bonus ille pastor, qui *ovēs suas vocat nominatim*, Joh.10. & 3. qui *agnoscit ovēs*

suas, Ib. *ψ*. 14. qui profitetur, *se alias etiam oves habere, quæ non sunt ex hac caulâ*, *ψ*. 16. ceteris disertè edicit: *Vos non estis ex ovibus meis*, *ψ*. 26. Utique novit numerum gregis, neque novit tantùm, sed ita custodit, ut *nemo ex iis pereat*, Joh. 17. *ψ*. 12. qui posset ergo numerus iste ullo modo immutari?

§. 44. Hinc in Apocalypsi audivit Johannes *servos Dei ob- signari in frontibus suis sigillo Dei vivi*, ne quatuor Angeli ipsis nocent; eidemque revelatus est certus obsignatorum numerus, Apoc. 7. *ψ*. 2, 3, 4. Quid hoc aliud designat, quàm certissimum esse electorum numerum apud Deum?

§. 45. Si denique incertus esset numerus electorum, reprobi possent fieri electi, sicq; fundamentum electionis non esset *στέγος*, *solidum*, 2. Tim. 2. 19. Alii possent occupare hæreditatem, quàm si quibus ab æterno fuit parata; Deus suos certò non nôliet, nec Christus pastoris fidelis munus impleret; homines ipsimet se determinarent, atque alia sequerentur absurdorum portenta.

§. 46. Atque hæc sunt præcipua argumenta, quibus veritas thesæ orthodoxæ innititur. Videamus paucis objecta adversariorum tela, quibus eandem irritò conatu impugnant. Militant illi *locis Scripturæ, exemplis & rationibus*, è quibus magis speciosa considerabimus.

§. 47. Quid, inquit, si electio tam firma est, cur ergo 2. Pet. 1. *ψ*. 10. *eam jubemur firmam facere*. Sed supra §. 31. vidimus electionem duplex emblemata habere, prioris respectu firmissima est electio, posterioris intuitu à nobis firmanda est electio, ut scilicet certi simus nos esse ex eorum numero, qui Domini sunt, recedendum est ab iniquitate & studio bonorum operum vita exornanda.

§. 48. Ex loco Matth. 13. *ψ*. 20, 21. *σπόροναιγοί* ad tempus credentes objiciuntur, qui tamen *deficiunt*. Verùm non omnis qui excipit verbum veram & salvificam fidem habet, oportet ut sit radicata; sic excipiatur semen ut incorruptibile, manens in æternum, 1. Petr. 1. *ψ*. 23.

§. 49. Apud Ezechielem c. 18. *ψ*. 26. *Justo à justitiâ se avertenti mortem minatur* Dominus, unde justum deficere ac perire posse contendunt. At non quæritur, an justus justitiam deserens moriatur? sed an verè justus justitiam deserat? dein locus iste ad
rem

rem non facit, cum de justitiâ operum agat, uti ex toto capite liquet, nos autem de justitiâ fidei verba facimus. Quanquam & hoc negari non possit, posse verè sanctos à justitiâ suâ, id est vitæ sanctitate se avertere, ac propterea morte puniri, Josias utique certissimo nobis est argumento. 2. Chron. 35. v. 24.

§. 50. Ad Hebr. 6. v. 4, 5, 6. dicitur: sanctos *illuminatos prolapsi, sibi Christum crucifigere*. Sed regerimus, Apostolum ut apostasiæ enormitatem ostendat bona apostatis collata exaggerare, neutiquam tamen probatur, illos verè sanctos fuisse, nam & Bileam apertoshabuit oculos, audiit eloquia Dei, vidit visionem Omnipotentis, Num. 24. 3, 4. nihilominus erat ex filiis perditionis, 2. Pet. 2. 14, 15. nec sufficit gustasse dona spiritualia, oportet ea in corde radicata habere.

§. 51. Psalmo 69. v. 29. optat David, ut adversarij *deleantur de libro viventium*. Unde patet librum illum varias pati mutationes. Sed optimè respondet Augustinus: *Isti ergo quomodo inde delentur, ubi nunquam scripti sunt? hoc dictum est secundum spem ipsorum, quia ibi se scriptos putabant. Quid est? deleantur de libro vitæ? Ut ipsis constet non illos ibi fuisse.*

§. 52. Quid evidentius his *exemplis?* ajunt; Moses vult deleri de libro vitæ, Exodi 32. 32. Paulus vult fieri *ἀνάθεμα* pro fratribus, Rom. 9. 3. idem cavet sibi, ne fiat *ἀδύναμις*, 1. Cor. 9. 27. Sed Moses ac Pauli votum nil nisi vehementem ardorem pro populi ac fratrum salute, non electionis mutabilitatem designat: dein Paulus in vocatione id egit, ut vita doctrinæ responderet, ne possit ab hominibus rejici, ac ineptus haberi.

§. 53. Nunquid David, Salomon, Petrus, Demas, Hymenæus, Philetus in fide perstiterunt? nonne turpissimè defecerunt, Dominum abnegârunt, in fide naufragium fecerunt? Negari certè non potest, gravissimè tres priores lapsos esse, ut fax fidei cineribus obruta penè fuerit extincta, superfuisse tamen scintillam ejus patet, quòd David à Nathane correptus, illicò se humiliaverit, & humili confessione gratiam petierit, 2. Sam. 12. v. 13. quòd Salomo verum Dei cultum continuârit, & resipiscenciam egerit, ex Ecclesiaste ejus agnoscendam. In Petri ore defecit confessio, non in corde fides. Tres posteriores à veræ fidei confessione defecerunt abnegatâ veritate; naufragium fecerunt circa fidem, cum ad eandem non pervenerint.

§. 54.

§.54. Denique *rationes* has afferunt: cui bono tot promissiones, exhortationes, comminationes ad fideles sunt factæ, si perire nequeant? nullus erit usus sacri ministerij, fide'es se tunc redduntur erga Satanæ fraudes. Sed novit Deus infirmitatem carnis nostræ, hinc non vult sine mediis nos ad finem venire, excitat ergò ministerio verbi, & promissionibus alacres reddit, ut erecti spe certæ victoriæ animo non frangamur, sed intrepidè adversus Satanam decertemus.

§.55. Timent adversarij, ne detur affectio, apostasia, sine subiecto, si sancti deficere non possint: sed umbram metuunt, nam notissima est Judæ & Juliani apostasia, qui à fide, non salvificâ, sed dogmaticâ perfidè defecerunt.

§.56. Dicunt tandem labi fideles, ut per excommunicationem à regno Christi excludantur. Traduntur autem Satanæ, non ut cum eo in æternum maneat, sed in exitium carnis, ut spiritus salvus sit in die Domini. Non excluduntur simpliciter, sed cum conditione, ut resipiscant, non extirpandi, sed medendi animo: unde poterit occultum esse Ecclesiæ membrum, qui ab externâ communionem ad tempus excluditur.

Atque hæc fuere, quæ nobis de gravissimâ hac materiâ inter varias curas atque sollicitudines meditari pro tempore licuit; si Deus vitam viresque concesserit, *certitudinem Salutis subjektivam*, quatenus unusquisque fidelium de eâ certus est, considerabimus. Deo unico salutis auctori sit laus honos & gloria in secula sempiterna.



Coll. diss. A. 132, misc. 6